



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

3. An malitia peccati mortalis sit infinita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

ter satis est transgredi legem naturæ cognitam, & præcipue agere contra charitatem proximi, Secundo, quia alias omnes gentes quæ ignorant Deum, vel istam offensionem Dei per actus nostros, non peccarent mortaliter: non ergo punirentur pœna æterna propter actus suos malos.

VI. *Vulgari dissolutio huius dubij.*

Ad difficultatem hæc communis solutio esse videtur, non obstante quacumque ignorantia inuincibili, vel de Deo, vel de fine ultimo, actum humanum moraliter malum, hoc ipso, quod est contra rationem in re graui, habere necessario coniunctam illam deordinationem & grauitatem, quæ propria est peccato mortali: quia hæc ex natura rei sequitur, & ideo nulla ignorantia impediri potest. Quæ quidem responsio haberet locum, si deordinatio hæc solum esset illa carentia rectitudinis actus moralis ad vltimum finem, quia hæc nullam grauitatem addit malitiæ morali, quam actus habet ex obiecto, sicut etiam patet in rectitudine actus virtutis: & hoc modo loquuti fuimus supra sectioni. 1. non tamen videtur posse habere locum ista responsio in deordinatione ista, quæ propria est peccati mortalis: primo, quia ista deordinatio, & auersio propria peccati mortalis est deordinatio moralis vere, & in specie distincta à malitia sumpta ex obiecto: ergo debet esse voluntaria, hoc enim est de ratione malitiæ moralis: ergo debet esse aliquo modo cognita. Secundo ista conuersio ad creaturas, vt ad vltimum finem, non est per expressam, & formalem voluntatem: debet ergo imputari secundum rectam moralem prudentiam, sed vbi est illa ignorantia, cum non sit neq; virtualis voluntas, non potest homini rationabiliter imputari: ergo. Tertio qui id faceret, quod est peccatum mortale inuincibiliter ignorans, & putans esse veniale, sine dubio non committeret illam deordinationem propriam peccati mortalis: huiusmodi autem videtur esse dispositio operantis in casu difficultatis propositæ, nam, vt infra videbimus, peccatum mortale nihil aliud est, quam malum quoddam morale contrarium vltimo fini: tale vero non putat esse suum opus ille, qui cum tali ignorantia operatur.

VII.

Quare dicendum videtur postea illa ignorantia, actum illius hominis habere totam illam malitiam moralem, quæ nata est oriri ex obiecto prauo cognito, non tamen illam propriam deordinationem & prauitatem, quam proprie constituere diximus peccatum mortale. Ad inconuenientia illa, quæ inferuntur. Respondedo primo inconueniens esse ponere talem ignorantiam inuincibilem, quæ forte per multum tempus in paucis hominibus reperitur: tamen illa postea concedenda sunt cætera, quæ sequuntur: quod vero attinet ad pœnam tali actui debitam, an futura esset æterna, quando quidem actus ille per se non priuat vltimo fine: an vero temporalis esse possit, dicemus infra agentes de peccatorum pœnis.

SECTIO III.

An malitia peccati mortalis sit infinita.

I. *Senten- tia.*

Theologi affirmant, vt patet apud D. Thomam 1. part. question. 1. art. 2. sed in modo explicandi differunt, quidam censent illam malitiam esse infinitam simpliciter, quod tenet Medina. Codic. de penitentia tit. de satisfactione quest. 1. Fundamentum sumitur ex argumentatione calculatoria, quia dignitas personæ offensæ aggra-

uat malitiam: ergo si dignitas Dei offensa est infinita simpliciter, etiam offensa. Confirmatur primo, quia in Deo sunt infinitæ perfectiones, quibus omnibus contrarium est peccatum mortale: sunt etiam infinitæ rationes propter quas prauum est offendere Deum, quæ omnes augent malitiam. Confirmatur secundo, quia peccatum mortale constituit alium finem vitium, tum etiam, quia quod in se est inferius trahit am Deo. Confirmatur tertio, quia hæc sola ratione non potest creatura condigne Deo pro peccato vno satisfacere, quia non potest tantum reddere bonum, quântum abstulit. Alii vero Theologi communiter in 3. distin. 20. Paludan. quest. articul. 2. & in 4. distin. 15. Scotus s. quoniam ad primum, censent totam istam malitiam esse infinitam secundum quid, quod sequitur Caietanus 3. p. & mihi videtur verius.

Aduerendum est quæstionem esse non de illa malitia, quam habet peccatum ex obiecto prauo, nam illam omnes censent esse finitam, sed de illa peculiari deformitate, quam peccatum habet contra Deum, vt est auersio ab vltimo fine, in quo duo possumus considerare, primo speciem illius malitiæ, secundo quântitatem, & quasi intensiorem illius malitiæ. Sit ergo prima propositio. Malitia illa secundum suam speciem non potest dici simpliciter infinita, sed bene secundum quid. Prima pars patet, quia est in specie malitiæ certa & determinata, quæ ab aliis speciebus distinguitur, & illas neque formaliter, neque eminenter continet: non formaliter, quia alias illa malitia formaliter esset malitia inuitiæ, infidelitatis, &c. non eminenter, quia non est veluti principium primum, & causa aliarum deformitatum, licet sit cõiuncta sæpe cum multis malitiis. Confirmatur, quia hæc deordinatio ad speciem malitiæ odii Dei reducitur, imo in illa specie ex modo, quo committitur, habet imperfectam rationem: at vero odium Dei, & eius malitia est determinata, & finita species vitii, & malitiæ: ergo, &c. Secunda pars probatur primo, quia hæc malitia est contra infinitum obiectum: quare hoc modo dicitur obiectiue infinita, sicut charitas, vel lumen gloriæ: item quia ex specie sua est summe praua, & turpis inter omnes malitias, quæ esse possunt, etiam si illæ in infinitum multiplicentur, quia inter mala maius est malum culpæ, quam pœnæ, & inter mala culpæ maxime in essentia grauitate, est odium Dei, & hæc grauitatem peccatum mortale participat, & hoc etiam confirmant rationes factæ initio. Dices, isto modo dicitur peccatum contra Deum infinitum secundum quid. Respondedo concedendo: tamen in ista infinitate potest esse magis, & minus: quod aperte docet illam esse infinitatem secundum quid, & in hoc gradu peccatorum, caput continet odium Dei, & ideo illud est maxime infinitum.

Secunda propositio. Hæc malitia peccati mortalis non est infinita in quantitate, vel intensi-  
ne. Probari primo, quia, supra diximus, non omnia peccata sunt æqualia, sed alia aliis maiora, vel minora: ergo non est infinita eorum malitia, sed habet terminum. Antecedens suadetur, quia peccata mortalia non solum sunt in æqualia secundum eam malitiam, quam habet ex conuersione ad obiectum, sed etiam in ea, quam habent ex auersione à Deo, quod patet, quia illa prior malitia sit grauior, vel minus grauis propter diuersum modum voluntarii, & ob diuersas circumstantias, sed ipsa etiam auersio potest esse diuerso modo voluntaria, & cum variis circumstantiis, quæ semper conferunt ad maiorem vel minorem

2. Sententia.

II. Notatio pro decisione.

1. Proposio.

III. 2. Proposio.

norem grauitatem cuiuscumque malitiae moralis, quia illa non oritur ex obiecto solum, sed ex his omnibus, ut dictum est, & per se videtur ne tum. Coconfirmatur, nam maior malitia est contra Deum vel eum non esse, quam id velle indirecte, & in alio, v.g. volendo furtum: ergo inter ipsas malitias directe volitas, poterit esse inaequalitas ratione diuersi voluntarii, & circumstantiarum: nam generaliter, & per se loquendo, cum peccatum mortale grauius sit ex proprio obiecto, & per se: etiam est grauius, vt est contra Deum, quia in hoc est maior contemptus Dei, eo quod in se magis auertit a fine vltimo.

IV. *Maisio facta probatio.*

Dices illam malitiam esse infinitam quidem simpliciter, & nihilominus posse esse maius crimen, quia tota haec infinitas licet dicatur simpliciter, in ratione quantitatis & intensiōis, tamen absolute est infinitas secundum quid, scilicet intra certam speciem: in infinitis autem secundum quid, vnum potest esse maius alio. Sed hoc recte non dicitur inter infinita etiam secundum quid: quia qua ratione alias finita sunt, potest quidem esse vnum maius alio, non tamen sub ea ratione, qua sunt infinita simpliciter, in quantitate: vt si esset calor simpliciter infinite intensus, posset quidem esse alia qualitas absolute maior, vel efficacior propter perfectionem essentiae, non autem posset intelligi calor intensior: sicut autem est in proposito, nam ista deformitas, de qua loquimur, in omnibus peccatis mortalibus est eiusdem rationis: quare si in omnibus est infinita simpliciter, non esset maior, neque minor, & haec conclusio magis ostendetur soluendo argumenta.

V. *Ad secundam in mun.*

Ad primum respondetur, illum modum argumentandi potissimum habere locum in his, quae sunt eiusdem speciei, vel ordinis: nam si arguendo fiat transitus ad res diuersarum specierum tantum concluditur infinitas secundum quid, vt patet a simili in cognitione, vel amore Dei, arguendo illo modo, quo amor est perfectioris obiecti, eo est perfectior, &c. vnde tantum concluditur illam speciem quae versatur circa infinitum obiectum esse altioris rationis. Potest quis obijcere. Quomodo ergo ex simili argumentandi modo concludunt Theologi meritum Christi esse infinitum simpliciter, & dignitate personae meritis. Respondetur nunc non agimus de dignitate meriti, vel poenae, sed de reuerentia, & deformitate, & quo ad hoc eadem est ratio de operibus Christi, nam illa etiam habebunt finitam bonitatem, & intrinsecam.

VI. *Ad confirmand.*

Ad primam confirmationem respondeo non proprie dici, sed per exaggerationem esse infinitas rationes non peccandi, aut infinitas perfectiones in Deo, nam in se est vna ratio adaequata, & vna perfectio: & licet per plures conceptus nostros possit distingui, tamen semper ratio formalis specificans hanc malitiam, vnica est, & vna honestas ipsi opponitur.

VII. *Ad confirmand. in eod. mun.*

Ad secundam confirmationem dico etiam non proprie dici peccatum esse destructiuum, & contristatiuum Dei per se: quia reuera etiam quantum est de se non habet vllam vim ad inferendam tristitiam, quia nihil potest efficere, quod vere sit Deo malum: nihil autem potest esse contristatiuum Dei, nisi quod est vere malum eius: & in hoc valde est diuersa conditio hominis, & Dei. Deinde licet sit peccatum de se contristatiuum Dei, non propterea tantam habere malitiam, quantum si destrueret Deum. Patet a simili, quia peccans contra Sanctum blasphemando illum, de se contristat illum, & consequenter tollit beatitudinem, non tamen ita grauius in primam secundam D. Thomae.

niter peccat, ac si reuera illi tolleretur beatitudinem. Praeterea in actionibus moralibus actionem esse damnificatiuam per se, si qui operatur est certus nullum de facto illaturum damnum, non multum aggrauat malitiam eius, pensandum est ergo tantum ex affectu operantis, vnde in proposito concedo, cum qui mortaliter peccat, propterea grauius peccare, quia virtute vult Deum non esse Deum, & aliquid praefert a-mori eius, & virtute vult alium vltimum finem sibi constituere praeter Deum: & quia duo fines vltimi hominis simul esse non possunt, virtute vult Deum non esse, non tamen propterea voluntas haec tantam habet malitiam, quantum videtur esse in illo obiecto, scilicet Deum non esse, quia, vt saepe dixi, non semper voluntas contrahit eor-tam bonitatem, vel malitiam obiecti, & deo voluntas occidendi infinitos homines, non est infinite mala, & ratio est, quia malitia actus non consistit in obiecto, sed in tendentia ad obiectum, & in modo quo versatur circa obiectum: licet autem obiectum sit ratione aliqua summe malum, actus potest versari circa illud, modo non summe malo, sicut etiam est contra contingit in actibus bonis.

VIII. *Ad 3. confirm. in n. 1.*

Ad vltimam confirmationem respondetur, ondeo non esse illam rationem, propter quam creatura non potest aequaliter satisfacere Deo pro iniuria illata, sed quia non potest suis viribus se conuertere ad Deum, a quo peccando se auertit, & quia maiorem habet improprietatem ad satisfaciendum, quam ad faciendam iniuriam, quod latius exponitur in initio operis de Incarnatione.

SECTIO IV.

An sit aliquod peccatum ex sua natura veniale, & qua sit eius ratio.

PRIMA sententia omnino negat, quam tenuit Iouinianus, & Pelagius, vt patet apud Hieron. *Varia haec lib. contra Iouinianum, maxime dialog. 2. contra Pelagium, hic enim sine distinctione vlla faciebant omnia peccata mortalia. Secunda sententia est similiter haereticorum, qui etiam peccata omnia re ipsa mortalia esse fatentur, & tamen quodam modo venialia a mortalibus distinguunt. Hanc tenuit Vuicleph, referente Vualdensi tom. 2. de Sacramentis cap. 15. 4. qui dixit omnia peccata a reprobis esse mortalia, praedestinatorum vero omnia venialia: haeretici vero huius temporis, aiunt esse mortalia, tamen quaedam a Deo non imputari ad poenam, & ideo esse venialia; vnde Lutherus omnia peccata infidelium dicit esse mortalia, renatorum vero dicit omnia esse venialia, praeter infidelitatem. Melancthon addit etiam in renatis esse quaedam alia mortalia, illa scilicet, quae committunt aduerentes se esse renatos, & idem fere dicit Bucerus, qui peccata omnia & sola ex malitia commissa, dicit esse mortalia in renatis. Fundamentum harum haeresium torale sumitur ex quibusdam locis sacrae Scripturae, vbi sine distinctione asseritur peccata mereri mortem, Deuteron. 27. & Ezech. 18. *Anima quae peccauerit, ipsa morietur, & alia, de quibus infra. Ad hanc fere accedit tertia sententia Catholicorum, quae etiam affirmat peccata omnia de se, si distincte iudicemus de illis, esse mortalia, & mereri poenam aeternam, tamen ex Dei benignitate factum est, vt quaedam peccata venialia veniantur, neque expellant gratiam, neque puniantur aeterna poena, ita Gerison de vita spiritali sect. 1. Aluayn tractatu 2. moralium cap. 32. & Rosenf. art. 32. Fundamentum**

